



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118642

§. 116. Sectæ suæ libertas Protestantibus per Ordinum edictum indulta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

Sæcul. XVI.

§. CXVI.

A.C. 1578.

Sectæ suæ libertas Protestantibus per
Ordinum edictum indulta.

Thuan. l. 66 Cum exteræ copiæ nonnisi ex Lutheranis, & Calvinistis conflatæ, pro-
pius accederent, Arausionensis Prin-
ceps inde capta occasione Ordines eo
adigere statuit, ut in universo Belgio
hæresin profitendi libertatem concederent:
quam in rem Protestantes jam die
vigesima secunda Junii supplicem porri-
gebant libellum, in quo causas, ob
quas a Romana Ecclesia defecissent, al-
legabant, multisque rationibus ostendere
conabantur, duas Religiones diver-
sas in eadem provincia citra civilis con-
cordiæ dispendium tolerari posse: porro
id primorum Christianorum, & Imperatorum
quatuor in primis exemplo, qui nostro ævo
in Germania eam libertatem protestantibus
concesserunt, comprobare nitebantur, adducentes
exemplum Franciæ, Poloniæ, Turcarum
Principis, Regis Marochensis, & Pontificis
ipsius, qui Judæorum Synagogas Romæ
tolerare cogitur: cum vero ad hunc libellum
ordines responsum ob negotii difficultatem
distulissent, illi rursus die septima Julii
alterum offerunt, novisque conditionibus
omnem securitatem Catholicis, & sacro Ordini
polli-

pollicentur, caventque, se nihil in publi-
cæ quietis præjudicium molituros.

Sæcul. XVI.
A. C. 1578.

Cum ergo Ordines eorum propositionibus faciles aures præberent, editum, quo Belgis conscientiæ libertas concedebatur, Antverpiæ die duodecima Julii fuit promulgatum, adjectis tamen hisce conditionibus. I. Hæc libertas duntaxat in illis civitatibus, quæ ea frui voluerint, locum habeat. II. Cuilibet liberum sit, hac in re facere, quicquid sibi bene visum fuerit. III. Hollandi, & Zellandi contra Religionem Catholicam quicquam moliri prohibeantur. Attamen hoc edictum pacis consilia, quæ Imperator agitabat, suo successu frustrabatur, ac simul diffidia inter Belgas adeo augebat, ut tertia rebellium factio inde exurgeret.

Insuper juxta hoc edictum Antverpiæ, Bruxellis, Mechliniæ, Bergis, Bredæ, Liræ, Burgis, & Ipris, in Frisia vero passim, & in Geldria Protestantibus tam Lutheranis, quam Zwinglianis, & Calvinistis Tempora fuere attributa: equidem Campaniacus Granvelli Cardinalis Frater ab hac concessione Bruxellensem urbem, eo quod regia Principum Sedes esset, eximi petebat, tumultuante tamen plebe nihil impetrari potuit, & Campaniacus, quamvis de patria multis egregie fa-

Ff 4

ctis

Sæcul. XVI. A. C. 1578. ctis optime meritis in suspensionem apud seditiosos adducebatur, quod cum Granvellano Cardinale fratre suo consilia communicaret, quapropter Menſe Augusto cum aliis in vincula conjicitur, & poſtea Gandavum captivus advehitur, prorsus indigne habitus.

§. CXVII.

Deputati pro vindicando hoc edicto ad Papam ab Ordinibus ablegati.

Thuan. l. c. **O**rdinum Proceres cum probe prospicerent, quod suo edicto ingens sibi Catholicorum odium accerlerent, hinc ad Papam ablegabant Elbertum Leonium juris Scientia, & insigni prudentia clarum, qui causam Belgarum apud Pontificem tueretur, periculumque, quod ab obstinata Hispanorum pervicacia Belgio, & Religioni imminebat, multis verbis exponeret: verum hic Deputatus Romæ minus benigne excipiebatur, eo quod summus Pontifex constanter heroica Joannis Austriaci facta tueretur: postquam vero idem Joannes ab illis Principum Ministris, qui cum plena agendi facultate ablegati erant, eo adigebatur, ut quasdam acceptaret conditiones, per quas rerum ad Religionem spectantium decisio ad generalem conven-